ADHORTATIO

HABITA

AD CLERUM CIVITATIS VICETINÆ

DIE III JULII MDCCCLXII

IN CONGREGATIONE

IN QUA QUAESTIONES THEOLOGICAE

DEFINIUNTUR

VICETIÆ

TYPIS JOSEPH STAIDER

1862

DILECTIS OLIM DISCIPVLIS

IN HVMANIORIBVS LITTERIS

SACERDOTALI HONORE NVPER INSIGNITIS

HANC ADHORTATIONEM

QVAM PLVRIES EXPOSTVLARVNT

AMORIS ET RECORDATIONIS ERGO

ANTONIVS GIORGIO.

IN SEMINARIO VICETINO

PRÆCEPTOR

D. D.

Cogitanti mihi infelicissima hæc tempora, ac simul cum veneratissimo afflictissimo Patre nostro Romano Pontifice vehementer dolenti, quod non pauci Ecclesiastici viri, tum regulares, tum sæculares in tuendis sacris Ecclesiæ juribus Sacerdotalem fortitudinem obliti a veritatis et justitiæ semita declinantes officio suo defuerint, non alienum visum fuit, si de Sacerdotali fortitudine aliquid dicere aggrediar, qua muniti, ac roborati præliari prælia Domini, et de Ecclesiæ inimicis triumphum agere valeamus.

Fortitudo, uti ex Angelici doctrina colligitur, est habitus firmans animum ad pericula suscipienda, laboresque perferendos in prosecutione veritatis et virtutis. Hinc, quod ad nos attinet, facile patet Sacerdotalem animi fortitudinem in eo sitam esse, ut quisque nostrum

promptus paratusque sit ad quæcumque pericula obeunda, quoscumque tolerandos labores pro temporali Apostolicæ Sedis Dominio, quod Summus Pontifex unanimi Episcoporum consensu toties declaravit confirmavitque necessarium esse ad liberum supremæ spiritualis suæ potestatis exercitium in universam Christianam Rempublicam; et illud quisque nostrum, quantum in se est, pro viribus defendat, propugnet, ac tueatur.

Cum vero hujus præstantiam virtutis ac robur invictum infensissimus humani generis hostis, ejusque satellites magnopere pertimescant, callidis utuntur artibus, quibus Sacerdotes decepti atque irretiti, si non omnino infideles Dei Ministri, haud tamen fideles munus suum negligant, de temporalibus Romanæ Sedis juribus populos non erudiant, neque errores detegant, neque illos in veritate confirment.

Et re quidem vera non desunt quidam ex Sacerdotibus, cæteroquin fortasse pii, qui usurpationem illam sacrilegam esse haud negant; sed ne verbum quidem in medium valent proferre, quod teterrimos Ecclesiæ hostes damnet, quod tam horribile facinus lamentetur, quod Sapientissimo Apostolicæ Sedis judicio illos assentientes demonstret, innuentes passim ac dictitantes tempora sat volvi difficillima, fidelium conscientias non esse inquietandas, severiori acerbitate animos non exasperandos, aliquem dari conciliandi modum, non audacia, sed prudentia utendum esse.

O lacrymabilis prudentia, qua parvus ignis non extinctus jam sæviit, nunc vero in incendium furit, ac prope excidium minatur!

Prudentia utique utendum, sed illa, qua totius Ecclesiæ bono, et fidelium saluti consulere velimus; prudentia, qua, docente Apostolo, opportune importune arguamus, obsecremus, increpemus in omni patientia et doctrina; non vero prudentia hujus sæculi, quæ vitia errores rebelliones sacrilegia nutrit ac fovet, quæ inimica est Deo.

Exsurrexerunt et exsurgunt ubique homines loquentes perversa, infernis quibuscumque artibus Ecclesiam Dei vexantes, dilacerantes; et, quod non sine lacrymis fatendum est, quam plurimos quotidie abducentes discipulos post se; nos vero, lux Mundi et sal terræ, nos tamquam salutis tubæ a Deo constituti silentium patiemur? canes muti, nescientes latrare obmutescemus?

Verum quid esset dicendum de Presbyteris, qui familiari utentes consuetudine cum iis, qui de temporali Apostolicæ Sedis Dominio male sentiunt, ut quamdam sibi celebritatem acquirant, vel Ecclesiæ jura pene mentiuntur, vel contrariis falsisque sermonibus assentiendo blandiuntur; qui societate, conversatione, munere, convivio contenti, potius quam Summi Pontificis cunctorumque Episcoporum pareant sententiæ, loquacibus viris, seu mulierculis inanibus super cathedram superbiæ disputantibus, vile facti mancipium, obtemperare et obsequi non verecundantur?

O pudor, æternumque dedecus! Ubinam Ecclesiastici viri dignitas, ubinam tam necessaria Sacerdotibus fortitudo?

Tantine facienda pravorum vel levium hominum opinio, ut pro ea veritatem prodere non dubitemus? quod justum et sanctum est, in pessum ruere sinamus?

Neque sint inter nos, qui nimium quam par est de mansuetudine solliciti, metuant ne ad servandam fortitudinis vim tam suavis hæc ac jucunda virtus aliquid detrimenti patiatur. Ut cæteros omittam, neminem latet, mansuetissimus ille Franciscus Salesius quam strenue constanterque, contra inimicos, Ecclesiæ jura vindicaverit. At nonne Deus in sacris litteris fortis et zelotes nuncupatur? Quis non memoret, qua fortitudine Christus Dominus, essentialis mansuetudo, sub mitissimi Pastoris et Agni forma toties exhibitus, in hypocritas tristes, in Scribas et Pharisæos animadverterit? Quomodo vere dici potest virtus, mansuetudo illa, qua circumferimur omni vento doctrinæ, ob quam præclara fortitudinis virtus debilitatur ac frangitur, per quam error super veritatem, super justitiam injustitia extollitur ac triumphat?

Veri nominis mansuetudo animi fortitudinem non deprimit, sed nobilitat; non dejicit, sed exaltat: non frangit, sed temperat. Sit mansuetudo in ore Sacerdotis veluti favus in ore leonis.

Mites semper ac mansueti in homines, eos Sacerdotali Charitate complectentes, confitentes coram Deo

et hominibus imbecillitatem nostram, nisi miserrimis nobis Deus præsto sit, ac pro illis sine intermissione orantes, fallaces eorum sententias, atque dolosas artes detegamus, ullo absque metu improbemus.

Maneant quidem, maneant nos contumeliæ, irrisiones, maledictiones, gravioraque alia; num veluti imbelle pecus pertimescemus?

Recordemini, quæso, fratres, proprium esse Sacerdotalis fortitudinis pro Dei et Ecclesiæ gloria grandia pati; recordemini illorum Apostolorum nos esse discipulos, qui *ibant gloriantes a conspectu Concilii*, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Induamur fortitudinis loricam, et si quando gravati, oppressi, vel fracti animo concidere videamur, levemus oculos nostros in montes, unde veniet auxilium nobis, et una cum invictissimo Pio Nono exclamemus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Omnia possumus in eo, qui nos confortat; si exsurgat adversum nos prælium, in hoc sperabimus.

Quod si ethnici ipsi, rationis tantum lumine ducti, cecinerunt justum et tenacem propositi virum, quem, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ, nonne pudeat nos Catholicos Sacerdotes, hostibus irruentibus, infideles Christi milites nobili justitiæ loco cedere?

Ah! nemo unquam sit in nobis, qui homines potius quam Deum timeat: Nolite timere eos, qui occidunt

corpus, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ignis.

Magno, invicto animo, fratres, pugnandum est; perpetuo pugnandum est, usquedum benignissimus Deus splendidissimum jubeat lumen exoriri, quo, cunctis errorum tenebris fugatis, veritatem ac justitiam e Petri Cathedra refulgentem omnes suspiciant et contemplentur.

Hanc vero animi fortitudinem quo facilius assequeremur, quanta omnipotens et misericors Deus sacro Pentecostes die per suum Vicarium operatus est!

Mirabili quidem divinæ Providentiæ consilio, Pius Nonus, in hoc tanto rerum omnium discrimine atque perturbatione, frequentissimo ac nobilissimo Purpuratorum Patrum et Episcoporum consessu circumseptus, qui ex dissitis undequaque regionibus, nullis parcentes incommodis, Romam convenere, universo terrarum orbi unitatis et charitatis spectaculum facti, beatos illos heroes, qui apud Japoniæ gentes pro Catholica fide in crucem acti sanguinem fuderunt, solemnitate in ævum celebranda inter Sanctos recensuit, ac singulare nobis fortitudinis exemplum portendit.

O vere digitus Dei est hic! O rem plane admirandam, posteritati vix credibilem! O Pium Patrem amantissimum, ac Sapientissimum! Quid potuisti facere vineæ tuæ, et non fecisti? Cuinam Tu, Pater invictissime, muneri defuisti, quo filii tui ad sacrum gloriosumque certamen certandum excitarentur, atque inflammarentur?

Fratres, imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Martyrum Japonensium constantia, ac triumphus semper nobis aute oculos obsistat, vires animumque addat, Sacerdotalem fortitudinem augeat. Te Magistro, Summe Pontifex, Te duce, Pater Sancte, eo semper intendemus, eo spectabimus, ut in tuendis sacris Ecclesiæ juribus mortem ipsam, si opus fuerit, Dei omnipotentis ope, Immaculatæ Virginis Mariæ, purissimi ejus Sponsi Sancti Joseph, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli præsidio adjuti ac roborati, mortem ipsam libenti, invicto animo oppetamus, nos quoque cum Martyribus Japonensibus conservi Christi fideles verba illa in cœlis audituri: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.*

O juvenes Sacerdotes, novus Vicetinæ Ecclesiæ flos et decor, qui sacratissimo Trinitatis festo puris manibus, purissimam hostiam, panem fortium Deo primum obtulistis, meum hoc, qualecumque sit, amoris et gratulationis pignus accipite.

Vos fortunati, quibus, Sacerdotali honore nuper insignitis, datum est statim pro Ecclesia præliari et pati: e Venerando Seminarii domicilio, tamquam Apostoli e cœnaculo, modo exeuntes, divinum ignem spirantes, veluti Timotheus Epistolas Pauli, Solemnem Pii Noni adlocutionem, atque orationem illam, qua suos Episcopi sensus eidem Summo Pontifici conjunctim ac solemniter expo-

suere, vobiscum afferte, iis attendite, viriliter agite, et pax et gaudium vestrum erit plenum.

Interea, fratres, unum in charitate sit omnium nostrum votum; una ad Deum assidua fervens oratio, ut optatissima illa dies properet atque effulgeat, qua impii ad veritatis et salutis semitam reducantur, decepti errorem suum magnanimi fateantur, *gloriosum enim est a veritate vinci;* properet atque effulgeat beata illa dies, qua Pius Nonus, fortitudinis ac mansuetudinis prope miraculum, tum Pontificis, tum Regis gloria circumdatus, et Pontifex et Rex ab omnibus uno ore conclamatus, pœnitentes filios benignus in sinum excipiat, et pacis osculo donet, ineffabili gaudio canticum illud persolvens: Omnia hæc in sapientia et fortitudine et miseratione fecit Dominus: *Sit Nomen Domini benedictum.*